

adversus Christum ejus. In ipsa ergo Incarnatione, ac morte à Patre cognoscitur, ac declaratur **filius meus.** Et tamen in sequenti Psalmo, cum de Christi resurrectione agatur, nec Christus appellat suum parentem Patrem, nec ipse eum filium suum vocat; sed tantum dicitur: *Ego dormivi, & soporatus sum, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Psalm. 3. num. 6. Res omni admiratione digna, quod Dominus, dum descendit ad humanæ naturæ abjectionem, ac mortem, & passionem amplexatur, à Patre appellatur filius, & in triumphali, ac gloriosa resurrectione nomen filii præmittitur; non enim dicitur: Dominus suscepit me filium suum. Absque dubio Christus Dominus magis recognoscitur, ac manifestatur, nostro loquendi modo, filius æterni Parentis, ad humilitatem mortis descendens, quam in reviviscencia sui corporis gloriosus triumphator ascendens. Et hac de causa, cum ad mortem venit filius publicatur. D. Ambrosius l. 3. de Sacram. cap. 1. *Pulchrè autem ait, Pater dicit ad Filium, ego hodie genui te, hoc est, quando redemisti populum; quando ad cali regnum vocasti; quando implesti voluntatem meam: probasti meum te esse filium.*

268. Dixit Dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & offeres eum in holocaustum.* Genes. 22. num. 1. Abraham evaginato gladio divinum mandatum exequenti clamat Angelus de cælo: *Ne extendas manum tuam super puerum, ibidem num. 12.* Jam dubium pulsatur, cur non dixerit Angelus: *Ne extendas manum super filium tuum unigenitum, sed maluit puerum, quàm filium nominare; sicut fecerat, cum ad immolationem imperavit: Tolle filium tuum unigenitum; cum pater in Scriptura frequenter servum significet, ut pater ex multis locis, & ex eodem cap. n. 5. omnia in parabolis contingebam illis.* Isaac Christum Dominum præsentans dicitur filius, cum ad jugulationem mittitur; cum verò vivus accipitur, puer seu servus vocatur. Multo plus se filium tanti genitoris probavit, quando gladio collum exhibuit, quàm dum vivus in amplissimam hæreditatem, ac possessionem donatur. D. Chrylost. homil. de Job & Abraham, sic ait: *Dixit Deus Abraham: Abraham, ne extendas manum tuam super puerum. Quare non dixit filium, sed puerum? villior erat.* Multo nobilior erat Isaac, cum in victimam præparabatur, quàm dum ei vita conceditur. Vide lib. 1. c. 5. n. 96. lib. 3. cap. 2. num. 89.

QUÆSTIO XLIX.

Quare dicatur, quod Deus dilexerit mundum, cùm scriptum sit: Nolite diligere mundum?

269. **M**undus, ut vult Plato, & refert Albertus Magnus hic, dicitur, quia mundissimus exemplari à Deo formatus exivit, Communiter Expositores docent, quod mundus dicitur Latine à munditie, Græcè ab ornatu, eo quod immundus, & inornatus per antiphrasim sit. Sicut frequenter apud Hebræos usurpatur verbum benedicendi, pro verbo maledicendi, Job. 1. n. 11. Et quamvis mundus, seu orbis in

se purus sit, tamen dum nos in eo finem ultimum collocamus, fit nobis immundus.

Difficultas præsens est, quomodo Christus Dominus dicat quod Deus dilexit mundum, cum Joannes Epist. 1. cap. 2. n. 15. dicat: *Nolite diligere mundum, neque ea, que in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Quomodo ergo charitas Patris manifestatur, dum diligit mundum; nunquid aliud videtur in magistro, & aliud docet discipulos?

Et ad hoc respondet Dion. Carthusianus, quod in Scriptura mundus accipitur pro hominibus in terra degentibus; & hoc tripliciter. Primò pro mundanis, & vitiosis hominibus; de quibus Paulus ad Galat. 1. num. 10. testatur: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et de hoc mundo scribit 1. Joann. 4. num. 5. *Ipsi de mundo sum, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Et iste est mundus pertinet ad malam perditionis. Secundò accipitur mundus pro hominibus prædestinatis in mundo sensibili pergentibus. Hujus mundi dicitur Christus Salvator, quemadmodum loquitur Paulus 2. Cor. 5. num. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Tertio sumitur mundus pro omnibus hominibus in terra viventibus indifferenter electis, & reprobis; & sic potest nunc accipi. Deus enim diligit omnia, quæ fecit; & vult omnes homines salvos facere; & quantum in ipso est, neminem vult perire. Hæc Carthusian.

Resp. ad quæstionem, quod Joannes in sua Canonica citato loco supponit mandum pro universitate concupiscibilem, ut rectè ibi explicat D. Thom. D. Thomas & eundem sensum sequuntur Gl. Lyranus, & Hugo. Et pater ex verbis Apostoli citato loco: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne quod est in mundo, concupiscencia carnis est.* Et ideo per mundum intelligitur inordinatus carnis appetitus, de quo dicitur Joan. 1. n. 10. *Et mundus eum non cognovit ut dicunt August. in Psalm. 54. D. Cyprianus lib. de immortalitate.* At verò hoc loco, dum Christus ait: *Sic Deus dilexit mundum, per mundum intelligit homines: nam iniquitas est detestanda, non autem peccator, prout homo, & creatura est; concupiscencia mundi est abominanda, non autem homo.*

De iniquis ait Regius Vates: *perfecto odio odieram illos, & inimici facti sunt mihi.* Psalm. 138. n. 22. Psalm. 138. Sed quodnam est odium perfectum? Mandatum Christi est, ut diligamus inimicos nostros: quomodo ergo potest esse odium perfectum? Sine dubio illud est, quo abominatur peccatum, non autem peccator, qui à Deo est creatus. D. Aug. in Psalm. citatum. *Quid est, perfecto odio? Odieram in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia hominis oderis, nec vitia propter homines diligas.* Ait Deus Moyse Exod. 18. n. 21. *Previde de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas & qui oderint avaritiam.* Ubi Dominus præcipit, ut ad regimen populi eligantur viri non qui oderint avaros, sed avaritiam, seu superbiam, ut alii legunt. Origen. homil. 11. ad prædictum locum Tales ait, oportet esse Principes populi, qui non solum superbi non sint, sed etiam qui oderint superbiam, id est, non solum ipsi absque vitio sint, sed etiam in aliis oderint vitia. Non homines dico odisse, sed vitia.

QUÆSTIO LI.

Quare non dicitur, quod Deus dilexerit homines, sed mundum?

274. **C**ertum est, quod ob hominum amorem Deus filium suum misit in mundum; ut homines quos condiderat, non perirent. Cur ergo non dicitur, quod Deus sic dilexit homines, ut filium suum unigenitum daret; sed tantum dicitur dilexit mundum? Et quamvis ibi per mundum intelligantur homines; ut fatentur communiter omnes Patres, & Expositores; tamen adhuc est dubium, cur non dicitur homines, sed mundum?

275. Rectè respondet Cajet. *Homo pars est mundi, & bonum partis est bonum totius. Parque fuit, ut Creatori mundi assignaretur potius dilectio totius, quàm partis.* Nobilitas enim partis, totius nobilitas est, ac proinde illud quod illustrat hominem, universum orbem illustrat; ejus homo pars est. Deinde maximè alienum est ab omnium rerum Creatore ac gubernatore, ut aliquis peccator in eo videatur affectus; & ideo non dilectio partis, sed totius Deo fuit attribuenda. Diebat impius Arrius, Verbum esse creaturam immediate productam à Deo, & ipsum Verbum cætera omnia condidisse. Acute Faust. Presbyter lib. contra Arrium, ipsum convincit. *Si creatorum Creatorem dividis, ut unus efficiaris, Deus negas.* Non enim ea inæqualitas datur in divina bonitate, ut unam creaturam per se immediate creet, & alias creati imperet; sed omnia exornat, & nobilitatem proprio ore fieri jubet, dicens: *Fiat firmamentum, fiat lux, fiat luminaria, &c.*

276. Deus enim nil magis intendit, quàm misericordiam suam ad omnes extendere, nil magis fugit, quam id, quod particularitatis notam innuere potest: Postquam Matthæus incipiendo ab Abrahamo Christi scripsit genealogiam, Lucas per septuaginta duas generationes reducendo usque ad Adam eam narravit. D. Irenæus lib. 3. c. 33. *Propter hoc, ait Lucas genealogiam, quæ est à generatione Domini nostri usque ad Adam septuaginta duas generationes habere ostendit: sinem conjungens initio, & significans quoniam ipse est, qui omnes gentes exiit ab Adam dispersas & universas linguas generationem hominum cum ipso Adam in semetipso recapitulatus est.* Unde & à Paulo typus futuri dicitur esse ipse Adam; quoniam futuram circa filium Dei humani generis dispositionem in semetipso fabricator omnium Verbum præformaverat prædestinavit Deo primum animal, hominem videlicet, ut à Spiritu salvaretur. Cùm Matthæus Hebræis suum scriberet Evangelium, ut notavi tom. 1. in præmio, c. 3. ab Abrahamo exorditur, qui eorum caput, & Princeps erat. Et ne quis leviter suspicetur, Christi adventum Hebræorum tantum utilitatè respicere, Lucas textit Christi genealogiam usque ad Adam, qui totius universi extitit origo; & per septuaginta duas generationes, quia in totidem linguas genus humanum est divisum: ut nobis fieret evidens, Christum non unam populum, sed cunctarum gentium, ac linguarum congregationem in se recapitulasse ad salutem ut omnium Redemptor, ac Salvator agnosceretur. Sive in Evang. Tom. II.

QUÆSTIO LI.

Quare Christus in hoc colloquio cum Nicodemus prius se appellat filium hominis, & postea filium Dei?

277. **A**nquam Christus Dominus cum Nicodemus ad præsentem textum devenisset, in quo se filium Dei unigenitum appellat, ut filium suum unigenitum daret; prius bis se filium hominis vocavit supra num. 13. *filium hominis, qui est in cælo, & num. 14. Exaltari oportet filium hominis.* Sed maximè est investigandum, cur Christus Dominus se incipit declarare per id, quod erat abjectius, & humilior, nempe humanitatem? Solent homines prima facie tam in suis domibus, quàm in publicis colloquiis præcipua stemmata suæ nobilitatis aperire, ac evulgare, cur ergo Dominus ab eo, quod erat inferius, exorditur?

Respondeo primò, quod cùm humanitas esset quid apparet, & omnium oculis manifestum, Christus Dominus ab his, quæ erant faciliora, ut optimus magister incepit. Vide lib. 1. cap. 1. n. 56. Secundò. Ob magnum ingenium, & propensionem quam Dominus ad humilitatem habebat. Vide supra n. 72. lib. 2. c. 1. n. 83. & c. 9. n. 43. Tertio. Cùm Christus Dominus esset Deus, ac unigenitus consubstantialis filius Dei, & etiam esset homo, natura humana ex parte Matris unita in unitate spositi Verbi Dei, abjectio, & humilitas humanæ naturæ ante oculos ei erat maximè defixa. Ait Reg. Salomon Sapient. 7. n. 1. *Sum Sapient. quidem & ego mortalis homo, similis omnibus & ex genere terreni illius hominis qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro decem mensium tempore.* Eleganter addubitat Lortius, Lotio: cur sapientissimus Rex, dum de sua conceptione aggreditur loqui, cur non de patre, sed potius de matre mentionem facit? satis erat apertum sapientissimo Regi, id quod mediocri ingenio non est absconditum, quod scilicet pater in filii conceptione primas habet partes: immo solus vir concurrens effectivè in generatione, ut voluit Aristot. lib. 1. de gener. cap. 19. & 20. Avicenna lib. 9. de anima, cap. 3. D. Thom. 3. part. quæst. 32. art. 4. ibid. Cajet. & alii multi, quos citant Conimbric. lib. 1. de gener. q. 27. art. Cur ergo matrem primò commemorat Salomon? ejus pater Rex David, sanctitate, virtute, animi dotibus præclarus extitit valde; at mater crimine adulterii scædata: imo regalis Tribus Juda valde ignobiles passa est matres; Thamar fornicariam, Raab meretricem, Ruth Moabitidem. Et sapiens Salomon prius oculos coniecit ad natalium vilitates, & Homo cognoscens humilitatem suam, ideo ante omnia ignobilitatis matris meminit, & splendorem paternæ gloriæ omittit. Vide lib. 2. cap. 4. n. 80. & supra n. 171.

QUESTIO LII.

Quare idem effectus redemptionis, prius tribuatur Christo Domino, prout filius hominis, quam prout Unigenitus Dei?

279. Ratio dubitationis.

DE effectu nostrae redemptionis bis loquitur Christus Dominus in hoc colloquio cum Nicodemus. Primò prout se dicit filium hominis supra n. 14. & 15. Ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et idem repetit hic secundo in hoc textu, cum se filium Dei appellat: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Cur ergo Christus Dominus redemptionis effectum primò sibi attribuit, prout filius hominis est, secundo loco prout filius unigenitus Dei? Et præstantissimum nostrae saluationis opus sibi primo adscribendum videbatur prout unigenitus Dei filius, siquidem à supposito Verbi Dei provenit infinitus valor in actionibus Christi, per quem de rigore iustitiae satisfecit.

280. August.

Respondet primò Divus Augustinus: Notandum vero, ait, quod eadem de filio Dei unigenito replicat, quae de filio hominis in cruce exaltatio præmiserat, dicens: Ut omnis, qui credit in eum; quia idem redemptor, & conditor noster filius Dei ante saecula excidens, filius hominis factus est in fine saeculorum, ut qui per divinitatis suae potentiam nos creaverat, ad perfundendam beatitudinem perennis vitae, ipse per fragilitatem humanitatis, nostra nos restauraret ad percipiendam, quam perdidimus vitam. Idem habent Beda, & Haymon hamil. de Inventione Sanctae crucis. Ipse Dominus, ut unigenitus filius Dei per potentiam creavit hominem ad aeternam beatitudinis felicitatem: at verò, ut filius hominis per fragilitatem humanitatis ad vitam nos restauravit aeternam. Et alicujus boni restauratio in majori veneratione, ac aestimatione est, quam illius prima collatio. Ergo si ut filius Dei dedit, & ut filius hominis restauravit, Christo ut filio hominis primò fructus redemptionis adscribatur, cum ipsa restauratio maximi sit oblectamenti, & delectet: majori enim gaudio Jacob fuit perfusus, cum audisset Joseph, quem mortuum existimabat, in Aegypto regnare, Gen. 35. n. 26. quam dum ex Rachel illum accepit, ut ponderat Divus Eucherius; nam cum cognovisset, filium in Aegypto regnare, multo majora lætitiæ dedit signa. Vide lib. 2. c. 10. q. 25.

Beda, Haymon, Restauratio boni alicujus in majori aestimatione, quam prima collatio.

Eucher.

281. Quia ex merito maximo nobilitatem, & primo commemoranda.

Secundò, Christus Dominus ut filius hominis mortuus, & passus redemptionem nostram promeruit; elegantiori ordine nostrae recuperationis fructus ipsi, ut filio hominis primò assignatur: qui enim meritum habet, primas habeat sedes, honorque ex merito proveniente maxime nobilitatur. Cum Dominus meus Jesus adlaret coram Principe Sacerdotum, ei dixit: Adjuvo te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Cui Dominus respondit: Dico vobis: Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli. Matth. 26. In. 63. & 64. Quia consequentia loquitur sapientiæ magister? Pontifex interrogat, an ipse sit filius Dei.

Matth. 26.

Ad quid Dominus divertit sermonem ad filium hominis: Videbitis filium hominis Interrogatio & responsio sibi mutuo coherere debent: si de filio Dei interrogatur, qua connexionione ad filium hominis recurritur? Agebat Dominus in merito suae passionis, quo promeruit exaltationem sui corporis usque ad dexteram Dei, & potestatem judicariam super omnem creaturam; & quia ut filius hominis profusionem sui pretiosissimi sanguinis totum principatum obrinuit, ac victor resurrexit, ideo filius hominis commemoratur, ac de eo sermonem inserit. D. Paschasius lib. 12. in Matth. Sessio filij hominis, inquit, & non filij Dei: Quia nimirum Ecclesia, seu thronus dicitur, seu sessio Christi à tempore resurrectionis ejus colligitur, & aggregatur usque in finem, in qua filius hominis & sedere victor videtur, & venire in nubibus caeli. Vide supra n. 208.

Paschas.

Ioannis 3. n. 17. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

VERSIONES.

D. Athanasius Non veni, ut judicem mundum, sed ut servem ipsum.

D. Ambrosius lib. Nō enim veni, ut judicem de Pœnit. c. 11. mundum, sed ut salvetur mundus per me.

Syriacus. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut servet mundum per eum.

Varabius, &c. Ut condemnet mundum, sed ut salutem consequatur mundus per eum.

EXPOSITIO.

PARTICULA illa enim causam indicat superioris sententiæ. Deus ex amore suo filium Unigenitum dedit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, quia misit Deus filium suum, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus. Nam quamvis hominum peccata mererentur iudicium & condemnationem; tamen Deus primò misit filium suum ad salvandum mundum; nam, ut notant D. Chrysostr. homil. 27. Theoph. & Euthym. si filius Dei ad iudicandos prius quam ad servandos homines venisset, quem servaret? Invenisset ut judicem mundum, id est, condemnet, ut legunt Syriac. Varab. Theoph. Euthym. & explicant Albert. Magn. & alii. Et ira manet recta in verbis oppositio; non venit ut condemnet, sed ut salvet mundum, id est, omnes homines, ut explicat Cajet. Sed ut salvetur mundus, quia, ut omnes explicant eum D. Aug. orat. 12. Deus quantum ex se, vult omnes homines salvos facere.

282.

Chrysostr. Theoph. Euthym.

Syriacus. Varab. Theoph. Euthym. Alb. Magn. Cajetan. August.

QUESTIO LIII.

Quare Christus Dominus, hic auditores suos à iudicij suspitione moveat.

283. Rupert.

Christus non venit ut rex ad iudicandum. Cajetan.

Barradas.

284. Jansen. Lancel. 7.

285. Brixianus.

Deus solus parat omnia, & ipse eos damnat.

286. Maldon.

Ut timor deponatur, verba sunt multiplicanda.

Respondet primò Rupertus lib. 3. in Joann. Contra carnalem, ait, Judæorum opinionem hoc misit Christus, à quibus terrenum regnum, & carnale saeculum Christo regnante speratur futurum, bellis, & cadibus oriturum: Non inquit, misit Deus filium suum, ut judicet, vel dissonat ea quae in mundo: sed ut judicetur, & agatur ea, quae salutis aeternae sunt. Similiter Cajetanus. Ac proinde, quod dum Christus ait: Non misit Deus filium suum, ut judicet, id est, ut Rex sit mundi, & ut judicet, ut Reges faciant. Et ita excluditur falsa Judæorum opinio, qua in primo adventu Christo sperabant ut Regem. Quamvis hæc explicatio sit probabilis, tamen verior mihi videtur, ut etiam Barradas, sententia, quam secutus sum in expositione, quod non venit, ut judicet, id est, condemnet; sed ut salvet.

Secundò Jansenius ita solvit præsentem difficultatem. Cum multis in locis in veteri Testamento promittatur, Christum venturum ad iudicandum. Daniel. 7. num. 9. Aspiciebant donec throni positi sunt, & angorum aeternum sedit; & inferius: Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Malach. toto cap. 4. Joel. 3. num. 2. & aliis locis. Ex quibus potuit Nicodemus dubitare, quod Christus venisset ad iudicandum, ideo Dominus ait, quod non venit ad iudicandum, sed ad salvandum genus humanum.

Tertio Brixianus. Quid erat necesse, ait, hanc removere dubitationem, quod videlicet Deus non miserit filium suum in mundi condemnationem? Ob hanc causam, opinor, quod cum adventu Christi Judæi ob infidelitatem suam essent abijcendi; quibus tamen venerat salvandus Christus; res contra erat casura quam ab omnibus expectabatur. Ideo prævenit Dominus admonens, Deum quidem ob solam benignitatem, & ob salvandos homines misisse illum unigenitum filium suum, non ob condemnandos; sed ut credens mundus per illum salvetur. Quod si quis non credit, ipse se suo iudicio damnat, non Deus in causa est. Ita Brixianus. Explicat Dominus causam sui adventus esse in nostram salutem, quod si eam non consequantur, ipsi se suo gehennali iudicio damnant, & hominum culpæ, ac vitio id deputandum.

Quarto Maldonatus. Et meo videri est germana ratio. Audientes peccatores, Deum filium suum unigenitum misisse in mundum; poterant cogitare & suspicari, ad hoc venisse, ut mundum iudicaret, & pœnas scelerum ab hominibus exigerent, ac Patris injurias vindicaret. Ac proinde quamvis dictum esset à Domino, ita Deum dilexisse mundum, ut illi filium suum unigenitum dederit, ut quisquis in eum crederet non periret, sed haberet vitam aeternam; non contentus, semel dixisse, iterum aliter dicit, removetque ab eis plenam timoris opinionem, quam illis peccatorum suorum conscientia generabat, ne forte idcirco venisset, ut mundum iudicaret.

Cam Abraham ex multiplici animalium genere sacrificium peregrisset, & volucres descenderent super cadavera, Horror magnus, & tenebrosus invasit eum. Genes. 15. num. 12. Horror autem & tumor provenit ex cognitione, quam habuit Deo revelante in illo eventu, servitutis, & calamitatum posteritatis suæ, quas tolerare debebat in Aegypto ante possessionem terræ Chanaan, ut est communis Interpretum vox, Chrysostr. D. Augustini, Abulensis, Lyrani, & aliorum. Et statim Dominus multa protulit verba ad quietandum ejus animum, formidine, ac pavore perturbatum, dictumque est ei: Scito præterea, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiciens eos serviituri, & affligent quadraginta annis; verum tamen gentem, cui serviituri sunt, ego iudicabo, & post hæc revertentur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc, ibidem à num. 13. Ad quid tanta dicuntur, & tot verba multiplicentur: Nonne sufficiebat dicere semel revertentur ab ipsa captivitate? Sed bis dicitur revertentur cum magna substantia, revertentur quarta generatione. Quando promissa est Abrahamo Verbi divini Incarnatio, Deus uno verbo dixit, Quia fecisti hanc rem, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Gen. 22. num. 18. At modo promissio sit geminatis verbis, quod revertentur filii ab Aegypto. Promissio Incarnationis Verbi divini, res multo superior, & excellentior, sed in hoc eventu Abrahamus erat formidine, ac terrore consternatus, & ut ejus perturbatus animum sedaretur, non tantum semel dicitur revertentur; sed verba multiplicentur duplicata, ut timor deponeretur. D. Chrysostr. homil. 37. in Genes. Quoniam ait à omni & percussus erat animo iustus ille, & concusse at ejus mentem timor, magna sanè ei dicta; quæ ad animum masculinum pertinent, qui transcendat, & infra se relinquat humana omnia.

287.

Genes. 15.

Chrysostr. August. Abulens. Lyran.

Genes. 15.

Multa requiruntur, ut animus timore percussus sedetur.

Genes. 22.

Chrysostr.

288.

Daniel.

Psal. 8.

Marc. 7.

D. Thom.

Cum Daniel pro captivitate sui populi maxime se affligeret, apparuit ei Dominus, ut ei levamen daret. Ex qua visione tantus terror irruit super Prophetam, ut ipse dicat de se: Non remansit in me fortitudo, sed species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virtutis. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum. Daniel. 10. num. 8. & 9. Et iterum. Nil in me remansit virium, sed & balneus meus imeroludiv. Rursus ergo tetigit me quasi visio hominis, & confortavit me, ibidem num. 18. Valde mirum, quod ut Propheta concipiat vires, manus Domini tetigit eum, & iterum tangit eum, nam ut caeli, & terra creentur, digitis Dei formantur: Videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum, Psal. 8. n. 4. Et Christus Dominus suis digitis multa miracula operatus est, Marc. 7. num. 33. Misit digitos suos in auriculas ejus. Et tamen ut Daniel audiat, ac loquatur, non solum digitus, & manus Domini tetigit eum, sed etiam apprehendit, ac erexit. Et hoc non semel tantum, sed etiam bis? Fiant caeli digito Dei; at Propheta erat totus perterritus, timore, ac terrore concussus, ita ut vires deficerent, & ut formido abigeretur, pavor abiret, ac animum recuperare, adsit manus Domini semel, & iterum eum recreans, & confortans, ut stet pedibus homo suis. D. Thomas ibi. Deficienti, ait, præ formidine præbuit mihi tactu suo, ut pavor à corde